

**1.**  
**DECRETUM CONGRESSUS**

**Prot. n. 47546/13 CA**

***Amotionis Superiorissae Generalis et eius Consilii***  
**(Exc.mus Episcopus – Congregatio pro Institutis vitae**  
**consecratae et Societatibus vitae apostolicae)**

**DECRETUM**

Visitatione canonica instituta, Exc.mus Episcopus N Rev.mam Supremam Moderatricem et Rev.mam Vicariam generalem simul cum consilio generali instituti religiosi iuris dioecesani v.d. Y decreto diei 29 februarii 2012 ab officio amovit. Rev.ma Suprema Moderatrix eodem die remonstrationem ad Exc.mum Episcopum et die 10 martii 2012 recursum ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae interposuit, quae litteris diei 28 martii 2012 suspensionem decreti impugnati statuit et die 19 iulii 2012 Exc.mum Episcopum emeritum P Visitatorem Apostolicum nominavit.

Recepta relatione diei 12 octobris 2012 de visitatione apostolica peracta, Congregatio decreto diei 10 ianuarii 2013, invocato can. 1739, decretum Exc.mi Episcopi rescidit, nullo remedio ad relatas superandas difficultates interim statuto.

Quam adversus decisionem Exc.mus Episcopus N die 28 ianuarii 2013 ad hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal recurrit et instantia diei 30 maii 2013 suspensionem decreti impugnati expostulavit.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev. dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE  
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod obiectum iudicii apud H.S.T. est asserta illegitimitas decreti a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 10 ianuarii 2013 lati;

Perpenso quod Congregatio ad rem audivit Exc.mum Episcopum, quodque non adducitur ulla violatio legis in procedendo ab eodem Dicasterio commissa in recursu hierarchico expediendo, qua in re, ceterum, iure quo utimur parum requiritur;

Perspecto quod in casu, viso can. 1739, ad competentem Congregationem uti auctoritatem superiorem in decernendo spectabat pro prudenti discretione sua impugnatum Exc.mi Episcopi decretum revocare utpote non ex toto idoneum habitum ad superandas difficultates minime negatas in Instituto, de quo, exsistentes, quin idem Dicasterium ullo modo declararet ex parte sua nihil amplius faciendum esse;

Cum proinde non appareat ullum indicium violationis legis in procedendo vel in decernendo ex parte Congregationis;

Animadverso quod ex hac decisione minime concludi potest rationes motivas ab Exc.mo Episcopo allatas non fuisse graves;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 6 decembris 2013 coram infrascripto Praefecto habito

**decrevit:**

**Recursum contra decisionem a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 10 ianuarii 2013 latam non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis careat fundamento.**

Cautio pro expensis in arca huius Supremi Tribunalis deposita retineatur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum ad normam art. 84 *Legis propriae*, qua haec Signatura Apostolica regitur.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 6 decembris 2013

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
*Secretarius*